

DISPUTATIO MEDICA,
DE
APOPLEXIA
COGNOSCENDA ET
CURANDA.

*Cuius Theses,
Auspice Deo ter opt. Maximo,*

In illustri Academiâ Iuliâ

PRAESIDE

HENNINGO ARNISÆO,

Medic. Doct. ac Profess. publico, ac pro
tempore eiusdem facultatis
Decano.

Ad publicam disputationem proponit

SIMON HASE REGIOMONTA-
NVS BORVSSVS.

*In Auditorio Maiori,
die 19. February.*

HELMAESTADI,
Typis IACOBI LVCII.

ANNO MDCCXIV.

DISSERTATIO MEDICA

DE

APOPLEXIA

COGNOSCENDA ET

CURANDA.

Cum Titulo

Publico Doctoris Maximo

In Illustri Academia Jullia

Præsida

HENRICO ARNISEO,

Medici Doct. et Publici, ac pro

tempore ordinarii

Docentis

Al publicam dissertationem proponit

SIMON HASSE REGIOMONTA-

næ Bornensis

In Auditorio Maximo

die 19. Februarij.

HELMSTADT.

Typis JACOBI LACII.

Anno 1714.

THESIS I.



Vi repentino ictu concidunt, sensus motusq; in NOMINA
 vniuerso expertes corpore, nec rationis ipsius
 compotes, paullo minus, quam mortui, eos
 Græci *Apoplexiâ* corripit, Germani *Percuti* aut
Manu Dei Tangi, Latini *Attonitos* reddi, & quasi fulmine af-
 flari, seu *siderari* dicunt: Hippocrates nonnunquam *αΨωδός*
 vocare consuevit.

2. Cum autem terribilis hæc affectio, *tam corpus quam* An mor-
mentem, vt ait Celsus, *stupefaciat*, hoc est, cum sensus exter- bus vel
 nos vnâ cum motu partium animali ad silentium adigat, ac symptoma
 nescio, an non pari violentiâ, ipsius principis facultatis a-
 ctiones inuadat, meritò ad symptomata functionis abolitæ
 & valdè diminutæ refertur à Gal. *de sympt. diff. cap. 3. lib. 2. de*
symptomat. caus. cap. 7. de morb. differ. cap. 5. proindeq; causa-
 rum eius, ex quibus accidens cognosci debet inuestigatio,
 nihil differet à declaratione morbi, qui actiones animales in
 corpore primariò & immediatè extinguit.

3. Ad morbi autem cognitionem cum nos deducat, *for-* Subiectum
ma eiusdem, *subiecti* ac *causa* notitia, constat in hoc affectu
 necessariò laborare *Cerebrum*, quod est principium faculta-
 tum omnium animalium, saltem quoad executionem aut
 exercitium, quoniam *vt centies docuit Galen. in libris de sympt.*
caus. & libr. 1. & 2. de loc. affect. quodocunq; partes omnes,
 quæ ab vno principio dependent, simul afficiuntur, origi-
 nem mali ex principio ipso accersere oportet, idq; *libr. 3. de*
loc. affect. cap. 10. ad institutum nostrum accommodans, ait:
Si aliquando per totum corpus nervorum actio vitiosa redditur,
ipsorum principium affectum esse constat. Sicut enim luxatâ aut
 depre-

depressâ vertebrâ aliquâ spinæ, omnes, quæ intra locum affectum sitæ sunt, partes, resolui videmus: ita rectè inferimus, cum Apoplexia vniuersalem inducat impotentiam, necessariò læsum esse, summum primumq; principium, à quo tam spinalis medulla, quam nerui quicunq; originem & facultatem communicatam habent.

4. Quod autem omnes ex æquo partes Apoplexiâ motum sensumq; perdant, ex præsupposito est, quia fieri potest, & frequenter euenire solet in ijs, qui reuiuiscunt, vt diuisum saltem cerebrum torpere, & quod illi subijcitur, lætus motu sensuq; carere videatur, qui quidem affectus, nec quoad causam, essentiamq;, nec quoad Methodum curandi ab Apoplexiâ differt: sed tamen propter diuersitatem sedis affectæ, obscurius quidem à Galeno *lib. 3. de loc. affect. cap. 10.* sed disertis verbis à Paulo *lib. 3. cap. 18.* ad Paralytin refertur, Paraplegiæq; nomine à Medicis describi solet. *In 1. Prother. comment. 65.*

5. Est etiam, vt malumprehendat vnum aliquod ex membris priuatim, vt cum labia & buccæ defluunt, cum vox perit ex nerui recurrentis refrigeratione, aut bini pluresq; digiti immoti manent, aliquando nec vrina nec stercus retinetur, ob resolutionem muscoli sphincteris, nec deest auctoritas Hippocratis, crus ita affectum Apoplecticum dicitur: sed vis nominis Apoplexiæ maius præ se fert periculum, & minoribus hisce affectibus, ad Paralytin reiectis, non accommodatur, cum comprehendat generalem functionum animalium læsionem, vt ex vsu græcè loquentium patet, *secundo sympt. caus. cap. 2.*

Forma. 6. Et quidem quod motus & sensus externi Apoplecticis emoriantur, ad sensum patet, ne rationem afferamus non necessariam à priori, quod extinctis vel prohibitis influere spiritibus, necessum sit euanescere facultatem, quæ ab ijs com-

communicabatur: *Utrum verò sensus communis cum phantasia, seu vt Gale. indiget, facultate ratiocinatrice, eodem momento penitus extinguatur, quia iudice sensu dignosci non potest, non ita expeditum est, nisi quod præcipui Medicorum, illorum reliquias quidem superesse, sed cohibitas & valdè oblatas statuunt. Gal. de symp. diff. cap. 3. lib. 2. Aph. 42. qui & lib. 3. de loc. affect. cap. 10. omnibus quidem functionibus animalibus noxam Apoplexiâ inferri, sed non omnes dixit aboleri, Paul. lib. 3. cap. 18. Aëtius & Trallianus C. de Apopl.*

7. Si enim Apoplexia excitetur ab obstructione tertij quartiq; ventriculi cerebri, imò etiam si ab angustia ductuū exsuperioribus tendentium, nondum elisâ facultate, quæ in substantiâ residet, & circa ventriculos quidem superiores, non tamen per conformationem, sed temperiem cerebri sese exerit, planum est, quod actio cerebri interna prorsus non emoriatur, nisi si malum substantiam cerebri obruat, vt venenata qualitas spiritus vno momento deleat, quas Apoplexias ex Hippo. infra vocabimus fortissimas, artiç; Medicæ prorsus inexpugnabiles. Quamdiu verò aliquid spirituum in cerebro remanet, tam diu sensibus internis aliquid superesse consequitur, quo actus suos, quantum in tantâ parsimoniâ instrumenti spiritualis & facultatum imbecillitate licet, exercent.

8. Grauiorem paululum difficultatem obiecit Medicis, quod contra rationem superius allegatam, respiratio licet à motu musculorum thoracis, & præcipuè Diaphragmatis dependeat, vt docet Galen. de util. respir. & lib. 3. de motu musc. residua remaneat, cum musculis pectoris spiritus animalis non magis ab obstructis cerebri meatibus suppeditetur, quam cæteris quibusc; siue ad motum siue ad sensum comparatis instrumentis. Si enim non respirarent, vitam continuò amitterent, 3. de loc. affect. cap. 10. cum nullum animal,

Cur respiratio seruetur.

quod pulmones habet, sine respiratione vel spiritum vitalem sibi sufficere, vel calorem cordis temperare posset.

9. Qui respirationem numero functionum animalium eximunt, præter autoritates & Anatomicam *avro* hoc ipso exemplo refelluntur, cum nisi à musculis dependeret respiratio, ab Apoplexiâ nullum sentire posset nocumentum. Nec illi satis scitè se expediunt, qui ad necessitatem solam respirationis confugiunt, quoniam in rebus Phisicis non solum à fine, sed & *ex necessitate materiae*, ut loquitur *Philosophus lib. 1. Anal. poster. & 2. Phys.* ratio redditur, nec necessitas quantumvis extrema operatur quicquam, quod sit per naturam impossibile. Alias & in forti Apoplexiâ respirationem servaret, & nunquam sineret quicquam viuentium interire.

10. Oportet igitur vbi respiratio deprehenditur reliqua, tantum adhuc spirituum animalium superesse, quantum ad pectus leuiter dilatandum requiritur. Et quidem in obstructione carotidum, dum spiritu & sanguine turget cerebrum, viæq; ad nervos liberæ sunt, influentibus reliquijs ad partem eam, quæ maximè laborat, ut solet provida natura affectis partibus vndiq; subsidium mittere, facile est rationem reddere, vnde primis diebus spiritus musculis suppetat. In fortissimâ autem Apoplexiâ & spirituum extinctione, tota difficultas cessat, cum, qui sic laborant, ob defectum rationis statim emoriantur.

11. Cæterum in Apoplexijs minus fortibus eatenus respiratio manet, quatenus reliquiæ spiritus animalis, ab angustia cordis, partim ex spinali medullâ, partim ex ipso cerebro attrahi possunt. Licet enim viæ & ventriculi obstructi sint, tamen per substantiam ipsam spiritus transit, & eius perenni affluxu turget vbiq; medulla, adeò ut felium *refectæ caudæ*, & diuisæ anguillæ, serpentesq; morum ad tem-
pus

pus retineant, nec non ranæ execto corde aliquot horas vixisse deprehensæ sint, quia quo viscosiores in animali sunt spiritus, eò tenacius, quantumvis à fonte rescissi, inhærent. Quia verò lentè & tardè mouetur thorax, non adeò magnâ spirituum irradiatione opus est, & paucillum id, quod affluit, calore cordis excitatur, & quasi de nouo animatur. Quin etiam quod in toto corpore superest, partim à prouidâ naturâ ad fontem vitæ confluit, partim à laborante parte attrahitur, quemadmodum his de causis respirationem somno non perinde interrumpi ac cæterarum partium motum obseruauit Galenus *lib. 2. Aph. 42.* & licet à ligato primo sensorio per somnum vix tantum influat, quantum Tono naturali partium sufficit, tamen per somnia irritata phantasia, ad membra quæ mouentur, tantum detrudit spirituum, quantum magnis subeundis laboribus satis est, vt in Notambulonibus patet.

12. Quod verò morbi genus sit in cerebro, vnde tanta noxa facultati animali inferatur, in eo dissident recentiores Medici ab antiquis, apud quos vix est, aliam inuenire Apoplexiæ causam, quam obstructionem ventriculorum cerebri. Eam etiam quasi adæquatam causam in definitione demonstratiuâ assumpsit Auicenna. Nec est dubium, quin obstructio sensu & motu priuet partes subiectas, dum prohibet iusfluxum spirituum iu nervos, cuius iudicium etiam satis certum præbet Paralysis, quæ sequitur, excusâ scilicet materiâ obstruente in principium neruorum ad cerebri extremitatem. An verò sola hæc obstructio pariat veram Apoplexiam, dubitatione non caret.

13. Nam Galenus *3. de loc. affect. cap. 10.* in genere ait: *Cum omnes pariter nerui tum sentiendi tum mouendi vim amiserint, Apoplexia huiusmodi affectio appellatur.* Et licet plerunq; tum is, tum cæteri prioris seculi ad eam Apoplexiam praxin coarctent,

Causa seu
Morbus.

arctent, quam nata est sequi Paralyſis: tamen nemo negauit etiam ex aliâ cauſâ poſſe oriri Apoplexiam, perinde vt Gale. 4. de loc. affect. cap. 4. ex ſect. 2. lib. 2. Epidem. Hippocrat. non ſolum Paralyſin vocat, quæ excipit diſcuſſam Apoplexiam, ſed & quam inducit luxatio vertebræ, aliâue quęcunq; compreſſio 2. de ſymp. cauſ. cap. 2. Vel in quam conuertitur angina, quò pertinet & illa in quam tranſmutatur Colica. Imò ipſe Gale. ex affectione inflammationis ſimili in cerebro, Apoplexiæ ſpeciem accerſit, lib. 2. comment. Apho. 42. quæ certè in Paralyſin non facilè deſinet, vt nec illa, quæ oritur ex compreſſione Crani.

14. Proinde ex Gale. de ſymp. differ. cap. 1. Res ipſæ, quæ inter ſe naturâ ſimiles ſunt, conferantur. Deinde nomina ijs imponantur, potiſſimum quidem, ſi potis eſt, quæ maximè ſunt in vſu: ſi hæc non occurrant, quæ ſunt aptiſſima. Et cum vnum & idem ſymptoma à diuerſis cauſis inducatur, ipſa quidem principum functionum abolitio nomen retineat, quando quidem diſtincta vſus non inuenit, ſed cauſa per ſua genera accuratè diſtinguantur.

Obſtruſtio

15. Frequens autem eſt Apoplexia ex obſtruſtione, quæ ſi diſcutiatur deſinet in Paralyſin, eò quod materia obſtruens intra tam paucos dies propter craſſitiem concoqui nequeat, ideoq; præualente robore naturæ, tranſponatur in partes imbecilliores, & propter conſenſum influxui à cerebro patentis. Niſi enim materia craſſa eſſet, perinde vt in Epilepſiâ fieri videmus, in auras diſſolueretur, quanquam & Epilepſia quædam in leuem Paralyſin terminatur, ſcilicet, quam vapor adeò craſſus excitauit, vt ſubitò depelli nequeat. Autor de morb. ſacr. & Gal. 4. acuto. comment. 27.

16. Obſtruſtionis indicium deſumit Galenus 2. de ſymp. cauſ. cap. vlt. ex eo, quod teſte experientiâ præſuppoſuimus, repente inuadere Apoplexiam, quæ quidem ratio adæqua-

ta non

ta non est, cum & aliæ causæ repente morbum incutiant, sed tamen intemperiem, quæ lentè inducitur, & consumptionem spirituum, quæ sensim facultatem extinguit, à censu causarum Apoplexiæ rectè excludit, & obstructioni vna cum cæteris locum facit.

17. In quem verò locum incidat obstructio, vix est, vt ex partibus affectis, præcisè cognosci possit, quoniam facultas in omnibus neruis ex æquo perit, siuè quartus, siuè tertius ventriculus, siuè ambo superiores, qui soli id nominis merentur, obturentur, eò quod non aliundè oriantur, vel vim hauriant nerui, quam à spinali medullâ. Verisimile est, interiores duos ventriculos facilius affici, tum quia sunt angustiiores, & tertius excrementis abundat, tum quia facultas circa superiores fortior est, nisi exitus eorum, quod facile fieri posse concedimus, potius quàm tam amplas capacitates, quibus implendis quanta humorum copia satis erit, obstrui ponas. Inuentum tamen fuit etiam humoris aliquid in superioribus ventriculis vt *Coiterus in obser. chir. de Paralyfi ex colic. & febr. nec non Paræus lib. 4. cap. 7.* testatur, nec dubium est, quin multitudine materiæ, & illi quodammodo obstrui, & compressione externâ coarctari tantò periculosius soleant, quantò certius est in his solis generari spiritum animale, & residere facultatem.

18. Materiam obstruentem crassam esse & copiosam necessarium est, quia pauca non sufficeret magnis cauitatibus replendis, & tenuis non impediret spirituum transitum. Tum etiam mordaci qualitate vacabit, ne irritando facultatem, pungendoq; tunicam ventriculorum admodum sensibilem Epilepsiam induceret potius, quàm Apoplexiam. Excepta igitur bile quiuis humor, siuè Sanguis, siue Melancholia, siue Pituita, pariendæ obstructioni idoneus est, quam à Pituita producatu sæpius, eò quod in capite, tan-

B

quam

In quem
locum in-
cidat.

Materia
obstruens.

quam excrementum eius, frequentius vel colligatur, vel propter frigiditatem condensata seruetur, vnde fit, vt pituitosus humor à Galen. 2. de caus. sympt. cap. 7. & lib. 2. comment. Apho. 42. tanquam præcipua causa Apoplexiæ nominetur, licet & Melancholia addatur lib. 6. Aph. 56. & sanguis 3. Aph. 20. de curandi ratione per sangu. missio. cap. 5. in 4. acut. comment. 23. 27. Quin & vapor crassus repentino incurso, spiritum intercipere potest, sed & facillè discutitur, & Paralyfin non inducit, nisi leuem.

Causæ pro-
catarticae
& antece-
dentes.

19. Causas procatarticas & antecedentes singulorum humorum velle enarrare, non minus tædiosum foret, quam superuacaneum, cum ex lib. de plenitud. peti possint. Eas saltem tangi satis est, quæ caput attingunt, & in eo vel materiam obstruentem progignunt, vel commotam ad ventriculos præcipitant, in quarum classe prævalent, *Ira, Venus, Balneum, Vinum, Motus, Frigus & Calor.* Calor externus liquefaciendo disponit pituitam ad fluxum: *Frigus* astrictione exprimit in ventriculos & vapores incrassat. *Motus* nimius fundit humores, facitq; vt dum rarefiunt, ad superiora vergant: *Vinum* verò suâ naturâ neruis inimicum est, cerebrumq; replet, nec non Narcoticâ aliquâ vi facultatem debilitat. *Balneum* duobus itidem modis nocet, tam fundendo pigros humores, quàm ad caput per vapores eleuando: *Venus* præterquam quod spiritus exhauriendo imbecillitatem cerebro inducat, etiam agit humores, ad partem iam imbecilliore redditam promptè fluxuros: *Ira* deniq; sanguinem præcipitat & commota omnia ad eum locum rapit, vbi obiectum molestum est. *Idem efficit casus, Ictus* sic, dum non tantum comprimendo, sed & concutiendo humores ad partes oppositas, angustiam meatibus inducit, prout exemplo Henrici II. regis Gall. demonstrat Paræus, & patet in ijs, qui ex ictu vnius lateris conuulsionem patiuntur in opposito.

20. Replent verò etiam caput *Cibi* aut *medicamenta va-*
porosa, quæ peculiari aliquâ qualitate caput respiciunt, vt de
Vino nuper diximus, & de *Cereuisijs* adulteratis planum est,
quarum vis per vehiculum aut *Rorismarini sylvestris* aut multi
lupuli, ad cerebrum tota dirigitur. *Aromata* densè cibus boni
succij ingesta, eâdem viâ secum ad cerebrum vaporum co-
piam vehunt, quod suâ proprietate præstant *Cape*, *Allium*,
Synapi & cætera, inter quæ infame habetur *Apium*. *Tempe-*
stas item *humida* & *austrina* similem corporibus inducit di-
spotionem, & *suppressa euacuatio* occasionem præbet resta-
gnanti humori, vt ad cerebrum imbecillius viam faciat,
quemadmodum mulieres quædam prægnantes, quo tem-
pore fetus moueri incipit, leuibus *Apoplexijs* obnoxias
fieri testatur *Hollerius*, eò quod subsistentes menses com-
pressis à motu infantis acetabulis vreri, ad alias partes re-
pellantur.

21. Ad omnium verò harum causarum operationes, *Dispositio*
præsupponitur notabilis quædam *cerebri imbecillitas*, cum *cerebri*
virtus alias in suo principio sit fortissima. Partem enim va-
lidam, seu ad recipiendum idoneam, passionem non ad-
mittere, ex eo Philosophorum axiomate notum est, quo ad
actionem edendam necessariò requiritur dispositio patien-
tis. Qui verò in imbecillitate propterea essentiam morbi
collocant, illi non distinguunt inter causam & occasionem,
siquidem imbecillitas causis quidem viam parat, earumq;
actionem inuitat, sed tamen sensu & motu repentiè priuare
non potest, sine alterius noxiæ interuentu. Imò licet intem-
peries cerebri, concoctionem vitando, multis excremen-
tis frigidis cerebrum inundet, quod in *Melancholicis*, tri-
stitiâ oppressis, aut *Epilepsiâ* sæpè concussis, eaq; de causâ
ad *Apoplexiæ* periculum deuergentibus, accidere videm⁹,
nihil tamen aliud confert, quam vt remotè causæ proximæ
causam præbeat.

An Apople-
xia mor-
bus hære-
ditarius.

22. Huius imbecillitatis respectu Apoplexia interdum referri solet, inter eos morbos, qui ex hæreditate propagantur, quandoquidem non tantum intemperies, ut putat Crato, sed & conformatio seu angustia ventriculorum, quæ facillè eos reddit obstructioni obnoxios, per semèn perinde propagari potest, ut laxitas articularum in podagricis, angustia pectoris in phthisicis, & caliditas Renum in Nephriticis.

Compres-
sio causa
Apoplexiæ.

23. Et de obstructione quidem cavitatum satis dictum est, quam tamen pro causâ adæquata Apoplexiæ non afferimus: quandoquidem, sicut spirituum egressum prohibet, & intus oclusos suffocat obstruens humor: ita si quid extrinsecus ad eò pressè, tantaq; gravitate incumbat, ut meatus occludat, eosdem edet effectus, quemadmodum *casus itusue*, non tantum dum concussione humores ad meatus detrudit, sed etiam dum cerebrum cum cranio deprimit, prout minor maiorue est depressio, nunc Epilepsiæ occasionem præbet, nunc Apoplexiam inducit. Et Gale. *lib. 2. Aph. 42. affectum inflammatorium* Apoplexiæ causam statuit, scilicet qui cerebri venas ita distendit, ut subiacentium ventriculorum meatus coarctando occludat.

24. Quod verò Platerus ad compressionem non quidem ventriculorum, sed nervorum omnem Apoplexiæ causam restringat, in eo ex vno atq; altero exemplo vniuersalem infert conclusionem, & ventriculis cerebri generationem, retentionemq; spirituum, contra rationem & structuram cerebri aufert. Quin etiam mens non stuperet, ventriculis illæsis, nec differret Apoplexiâ à Paralyfi, & spiritus, quantumuis pressis septem nervorum paribus, quæ vulgus numerat, per corpus cerebri in spinam insueret, excepto eo casu, quando diffluit ipsa medulla, quod non fit nisi in morbo desperato.

25. Præ-

25. Præter has causas enarratas fieri potest, ut sicut in ^{Item ex-} syncope vitalis, ita in Apoplexiâ animalis spiritus repente ^{stinctio} dissipetur, aut extinguatur, adeoq; totum animal sensu ^{spirituum.} motuq; priuetur, per *vaporem* aliquem *halitumq;* totâ *substan-* *tiâ spirituum natura inimicum*, qualis est suffitus *impurorum carbonum, unguis asini, pedis veruecis, cornu caprae &c.* Exhalatio *calcis viua, Minij, Bituminis, succini nigri, venenum aspidis,* de quo Plutarch. *in Anton.* Item *inunctio Mercurij* teste Dario. *tract. de præp. medic. Chymic.* & quæ præterea à Ferriol. afferuntur, dum suo more ex particulari causâ nititur concludere vniuersalem, quemadmodum in sede febrium, essentiâ morbi, quem sequitur Hydrops, Catharro Arthritico & similibus patet. Nam licet hanc extinctionem spirituum non excipiat Paralysis, repente tamen delet sensum & motum, quæ est illius symptomatis essentia, cuius causas inquirimus: Et hoc casu reperiri potuit cerebrum Apoplecticorum sine aquâ à Fernel. *2. de abditis rer. caus. cap. 15.* Varol. *in Epist. ad Mercurialem.*

26. Et hæc tenus quidem causas inuestigauimus morbi proprioris, quæ principium sensus & motus affligunt per se. Per *consensum* verò perit motus & sensus, quando materia ex quâ generatur spiritus animalis, obstructione vasorum deferentium intercipitur, de quo genere accipit Duretus illud Hippocratis: *ἀφωλίαν, id est, Apoplexiam sine febre. vena sectio tollit.* Et meminit eius Hippoc. *de vict. acut. 4. text. 23.* inquit: *Quod quis repente obmutescat, id venarum interceptiones, occlusionesq; faciunt,* quod Galen. *de morb. caus. cap. 3.* in hunc sensum explicat, ne soli Auicennæ hunc errorem ascribat Salius. Defertur autem per carotides arterias spiritus vitalis, Animalis materiam præbiturus, cuius subtractione, perinde euanescere spiritum in cerebro necesse est, ut eo destituuntur nerui in Paralyti, quia vel subtractus, vel suppressus est in principio.

27. Sicut verò quæ per consensum fiunt, ubiq; distinguenda sunt ab ijs, quæ per se: Ita, quæ ex obstructione carotidum nascitur Apoplexia, separanda venit ab ijs, quæ cerebrum ipsum afficiunt, & ex ante diductis definiri possunt: *Sensus motusq; in uniuerso corpore repentina abolitiones, salua deprauata aliqua respiratione, & sensuum internorum qualicumq; operatione, ex obstructione, compressione uel meatuum cerebri, aut extinctione spirituum animalium inducta: qua definitio à demonstratione non nisi solo terminorum positu differt.*

Definitio
Apoplexiæ

28. Differunt autem inter se Apoplexiæ, non quidem formâ aut subiecto, si obstructionem carotidum excipias, sed *causarum varietate & gradibus* quas differentias, quia curationem variant, Medicus tacito pede præterire non debet. Et ex causis, aliam quidem inducit compressio ab icteru casuue, aliam affectus inflammatorius, aliam obstructio à sanguine, Melancholiâ, pituitâ, aut nebuloso crassoq; vapore, aliam deniq; venenata substantia, vt ex antè dictis abundè patet.

Differentiæ
& earum
signa.

29. Gradus duos proponit Hippocrat. *lib. 2. Aph. 42. fortis & debilis*, quos Galenus in quatuor classes minutius subdividit, eorumq; indicium peti vult ex noxâ, quæ respirationi infertur, quoniam vt ait *3. de loc. affect. cap. 10.* Apoplectici non moriuntur ob priuationem motus & sensus, sed ob suffocationem cordis, cum cor sit primum viuens & vltimum moriens. Prout igitur respiratio magis minusue à naturali statu recedit, maius minusue eradit periculum, & maior minorue in cerebro arguitur noxa. *30.* Maximum igitur imminet periculum & Apoplexiæ euadit pessima, quando respiratio ita oppressa est ad sensum, vt nisi artificio deprehendi non possit, si uel lanam obtendas ori, si uel speculum obicias, vt egressum halitus inuestiges, aut cyathum aquâ plenum pectori imponas, ad motum de-

Differentiæ
& signa
graduum.

...prehendi

prehendendum : proximè hinc absunt, qui respirationem
quidem ad sensum residuam habent, sed & intermittentem
& violentam 3. de loc. affect. cap. 10. hoc est magnà cum diffi-
cultate, & cooperatione omnium, tam thoracis, quam ab-
dominis, & scapularum humeriq; musculorum 4. de loc. af-
fect. cap. 4. in libr. de difficil. respir. & de motu muscul. Quod si
violentia etiam abscedat & inæqualitas minor euadat, cum
leuiori intermissione ad tertium gradum, & deniq; ad quar-
tum acceditur, si nec intermittatur respiratio, & inæquali-
tas parum à naturali ordine recedat. 2. Aph. comment. 42.

31. Et gradus quidem sic discernis: Differentias verò
causarum partim ex euentiâ prægressarum, partim ex
communibus notis humorum redundantia, desumere li-
cet. Casus, ictus, nidor vaporû venenatus, alimentum, aut
aliud quid foris ingestum, ex relatione astantium cognosci-
tur: Humorund abundantiam colligimus ex præcedenti vi-
ctu, Aerate, Sexu, Temperie, tempestate, ex morbis con-
suetis & suppressâ euacuatione: nec non sanguinem à frigi-
dis humoribus distinguimus, calore capitis, rubore faciei,
venarû in oculis & vicinis partibus distensione, & pulsuum
magnitudine, quæ omnia in contrarium vergunt, quando
pituita peccat, vel Melancholia.

32. Non est autem vt signa Apoplexiæ in genere exigas,
cum repentina motus seu susq; priuatio sensui pateat. Si qua
tamen ingruentem longo interuallo præcipere & antequam
vim faciat, prædicere volueris, ex ijs non nihil suspicari li-
cet, quæ imbecillitatem cerebri & motum humorum ad ca-
put designant, vt sunt frequens Epilepsia, perennis vertigo,
Paralysis alicuius neruuli, sine manifesta causâ oborta, so-
porosi affectus, lachrymæ inuoluntariæ, tinnitus & toni-
trua aurium, sternutationis defectus, tremor artuum sine
impotentia, timor & grinnitus in somno. Torpores & sensus
priua-

Differentiæ
& signa
causarum

Signa in-
gruentis A.
poplexiæ.

priuationes præter morem orientes futurae siderationis signa enumerat ipse Hipp. in Coac. An incubus eiusdem sit prænuntius distinctione cognoscendum est. Nam qui pueris & multo cibo potuue distentis ex compressione Diaphragmatis & pulmonum familiaris est, metum Apoplexiæ non facit, sed is, qui cerebrum ipsum obscuris & terrificis somnijs ligat, vaporibusq; infestis hebetat.

33. *up* Senibus magis familiaris est Apoplexia, *lib. 3. comm. Aph. 31.* tum propter imbecillitatem cerebri, tum quod pituita abundant, unde ut plurimum ortum trahit, eademq; de causâ hieme infestius Apoplexias grassari, præsupponit Aëtius, quanquam etiam vereprehendant, dum per hiemem collecta excrementa liquefiunt, & in cerebrum ruunt. Aetates aliæ, in quibus sanguis abundat, obnoxia sunt illi, quam ex sanguinis, siue in ventriculos, siue in venas cerebri, siue in carotides influxu excitari nuper diximus. Sanguine enim abundantes validis exercitijs ad Apoplexiam deduci, *lib. 3. Aph. comment. 20.* scriptum est, sanguine nimirum confertim in principium animantis irruente, ut dicitur *de curat. per venæsect. cap. 5.* Quæ à Melancholiâ ortum trahit, à quadragesimo anno vsq; ad sexagesimum maximè infestat. *lib. 6. Aph. 57.*

34. Omnis verò Apoplexia acutissima est, & teste Hippocr. *lib. 6. Aph. 51.* Quicumq; sani dolore capitis repente capiuntur & statim muti fiunt, & stertunt, in septem diebus pereunt, nisi febris apprehenderit, Analoga scilicet quæ soluat morbum. Nam si nec morbum soluat, & præterea cordis vim disijciat, maiorisq; respirationis necessitatem inducat, præcipuè in senibus, quorum naturæ aduersa est, plurimum ad mortem adiumenti afferre potis est. Solent autem, ex periphrasi Celsi, qui per omnia membra vehementer resoluti sunt, celeriter rapi, ac si correpti non sunt, diutius quidem viuunt, sed raro

raro tamen ad sanitatem perueniunt, & plerumq; miserum spiritum
trahunt, memoria quoq; amissa: Imò alterutro latere Paralyti-
ci fiunt, 4. de locis affect. cap. 2. nonnunquam utroq; Aeti. cap.
de Apoplex. nisi Apoplexia constiterit ex venenato vapore,
aut compressione, carotidumue affectu.

35. Apoplexiam fortem curare impossibile, debilem non facile
esse decreuit Hipp. lib. 2. Aph. 42. & Paulus lib. 3. cap. 18. Apo-
plexiam quamcunq; dicit mortem in propinquo minari.
Sudor fideratis superueniens à difficili spiritus tractione, le-
thale. In Coac. Et quibus strangulatis spuma circa os apparet,
non reuiuiscunt, scil. si spuma ex contentione pulmonum
protrudatur: secus si per commotionem & materiae resolu-
tionem à cerebro defluat. Auicenna tamen vetat Apople-
cticos ante tertium diem sepeliri, quod fortis debilisque
Apoplexiæ magna sit latitudo, & robur naturæ Medico sæ-
pe non satis perspectum esse queat.

36. His prognosticis munitus Medicus, si quam spem
restituendæ valetudinis, aut saltem depellendi periculi, re-
liquam aduertit, curationem feliciter aggressurus, ad id pri-
mum respicere tenetur, vt morbum tollat, deinde, vt cere-
bri facultatem roborando, recidiuam, quæ facile imminet,
præcaueat. Cum verò morbus ex causâ continente, nihil
per se indicet, totum negotium versabitur circa causam ob-
struentem, in eâ Apoplexiæ specie, quam obstructio indu-
cit, de qua primo loco agemus.

37. Causarum autem obstructentium varietas, necessariò
inducit varietatem curationis, quæ distinctè nobis propo-
nenda est, initio factò à Pituitâ, eò quod non tantum fre-
quentissimè Apoplexiam ingeneret, sed etiam regulam qua-
si Methodi præbeat, ad quam in cæteris indicationes reuo-
cari possint. Et quia multifariam peccat Pituita, multas de
se præbet indicationes, quatenus in motu & affluxu, Reuel-

Curatiue
indicatio-
nes.

C

lencia

lencia & Deriuantia, quatenus parti impacta, Euacuantia, crassities requirit incidentia, viscositas extergentia, & frigiditas calefacientia: Ex quibus omnibus, vt eligamus ea, quæ promptissimè operantur, periculi magnitudo facit, quæ generosa semper indicat remedia, nisi vires repugnent, vt in Apoplexiâ plerunq; euenire solet, dum singularem præsupponit cerebri imbecillitatem.

De venæ
sectione.

38. Ex duobus igitur maximè generosis præfidijs, venæ sectione & purgatione, illa locum non habet, quando pituita peccat, præcipuè in senibus, quia morbus magnus non requirit venæ sectionem, quam præsupposita sit aliqua sanguinis redundantia, vt constat ex Gale. lib. de constit. art. cap. 19. lib. 6. Aph. comment. 47. lib. 4. Meth. cap. 6. lib. 13. Meth. cap. vlt. lib. de curand. rat. per ven. sect. cap. 3. 4. 7. Nam pituita quæ in ventriculis cerebri obstructione facit, per venam apertam non effluet, nec tam eijcietur illa, quæ in venis continetur, quam calidi humores, quod hi promptè fluant, illa non nisi lentè & post longam præparationem moueatur. Subtrahitis autem calidis humoribus, cum spirituum copiam, in quorum excandescentiâ totam spem curationis collocat Hippocr. in Coac. & 6. Aph. 51. quid superest, nisi vt morbus augeatur & incurabilior euadat. Nam *vena sectio, vbi omnia membra vehementer resoluta sunt, si non liberat ceruicem occidit*, vt testatur reliquit Celsus lib. 3. cap. 27. & exemplum in Aelio Vero Imperat. affert, Capit. in M. Anton.

De purga-
tione.

39. Purgationem magis indicat humor qualitate peccans, nec repugnant vires in principio: sed quia vehementer conturbat corpus, prauis humoribus oppletum, quandoquidem hic inefficacia sunt purgantia, nisi maiori dosi propinentur, tum etiam, quia solida, capiti expurgando maximè idonea, non deglutiuntur, & liquida in ore restagnantia, adeoq; ad pulmonem defluentia, respirationem diffici-

difficiliorem reddunt, satius est à Clysteribus auspicari, interimq; dum Clysteres parantur, suppositoria subijcere, ex acerrimis, quo facultas, quæ penè emortua iacet, exuscitur, nimirum ex Hiera compos. & Logad. colocynth: Rad. pyrethr. & Helleb. albi, felle zaur. sale gemm. In his enim tardare malum & occasio præcept.

40. Clysterum primus dirigitur simpliciter ad expurgandas primas vias, quoniam commoueri impurum corpus nunquam ex usu est, siue medicamentis id fiat siue concussione. Cæteris materiam suppeditabunt, quæ vim habeant attenuandi pituitam in capite, attenuatamq; ad primas vias deuocandi, utpote ex herbis, Ruta, Thymus, Salvia, Lauend. Rosmarin. Origan. Beton. Verben. Primula veris, Chamædrys, Chamæpith. Iua ardet. Calament. Puleg. Maiorana, Stæch. Folia & bacca lauri, visc. querci. Saturneta: Ex florib. Lily. Conuall. Tilia Primula, Pæon. Calend. Anthos. Ex radicibus Pæon. Angeli. Imperat. Leuistic. &c. quibus addimus exacuentia, pituitamq; ducentia, Rad. Cyclam. Irid. Pyrethr. Cucum. Asinin. Ari. Hellebo. vtriusq; Sem. Carthami Colocynth. Agari. Felle zaur. Castor. Hermodaët. Euphorb. & quæ ex his conficiuntur, Ol. Castor. Rut. Laurin. Melanthos. Hiera & oleum Colocynth. Trochise. alhand. Confect. ex Hermodaët. Benedict. laxat. cum feminib. carminat. & sale gemm. ex quibus pro ratione virium, motu morbi, & quam præstant, operationis varietate, varia componuntur Clysmata sæpius iniicienda, postquam retentrix ea frustra effluere sinit.

41. Sunt & alia remedia pituitam è cerebro deriuantia, ut ligatura dolorosa, frictions totius corporis, scarificationes, sternutatoria, Apophlegmatismi, Synapismi, quibus tamen omnibus præferendæ sunt Clysmatum iniectiones, non tantum quod generalia Topicis semper præmittendæ, sed etiam, quod ab his non expectetur auxilium, nisi tardum, cum ad

Apoplexiam citato fit opus. Præmissis autem Clystere, negligenda non sunt, ut si non singula, saltem coniunctim profint. *Frictionibus* enim non tantum euocamus pituitam è profundo, sed si instituantur ex oleis, in quibus maduerint, Rad. *Irid. Cucum. Asini. Hermodact.* aut aliquæ ex herbis capitalibus, vel in quibus dissolutum fuerit, tantillum, *Succini, Castor. Eupherb. &c.* spiritus in toto corpore refuscitatur, materiaq; peccans ad Euacuationem præparatur, quod secundo statim loco, vel etiam à principio, si tenacitas humoris sequi neget, agendum Medico incumbit.

Interna
medica-
menta.

42. Nam facultas quidem sine morâ ad expulsionem irritanda est, ut periculum, quantum potest, tollatur, sed si humor sequi neget, expurgantibus miscenda sunt, quæ eum fluidum faciant, tam extrinsecus applicita, quam per os assumpta. Ideoq; post usum Clysterum, nihil verat diductis faucibus infundere, tam quæ manifestâ qualitate, pituitam incidant & attenuent, quam quæ occultè Apoplexiæ resistent, & cerebrum, confortando ad expulsionem arment, ad quam rem tanta efficaciora sunt, *Balsama, olea, & extracta Chymica*, quanto altius citiusq; in minori quantitate penetrant: Nec non *spiritus vini*, in quo remedium aliquod Apoplecticum maduerit, aut *Aqua Imperiales ex hyridin. Picis, Passeribus, Theriacâ Langij, Palatin.* & quæ passim prostant, nulloq; negotio ex simplicium mixturâ colligi possunt. Fortiores autem euadunt, si post destillationem, imprægnentur tincturis propriarum matricum, cumq; ipsæ propinentur.

43. Extra controuersiam commendantur contra Apoplexiam & conducunt, *succinum album, aut ad minimum cirrinum, castoreum, cranium humanum*, aut saltem *os triquetrum ex cranio, vngula alcis*, non tam appensa, quam ingesta per os. *Nux muscata, ambræ, semina Eruca, sinapi, Ruta, Cardamo. Carui,*
præ-

præcipuè si vapores in causâ sint, *Campb. Cinamo. Rad. seseli
Cretici*, & quæ præterea *thesi 40.* enarrantur, vnde compo-
nuntur, *Confect. Anacard. Sapientum, Diamb. Diamosch. Di-
anth. Diacastor. Syrup.* quamplurimi, & tum horum, tum sim-
plicium mixturis, variæ conficiuntur formulæ medicamen-
torum, quas hic recensere nihil attinet.

44. Internis opitulantur *externa*, de quibus quomodo Externa.
Methodicè, & cum efficaci utilitate adhibenda sint, pa-
culatim agendum. Et *vellicatio quidem barba & pubis*, quia fa-
cultatem tantum stimulant, *collocatio in loco lucido & calido*,
quia ad spiritus proijciendos parum conferunt, *ligatura ex-
tremorum, pedumq; titillationes*, quia tardè operantur, vt ad-
hiberi possunt, ita neglecta parum auferunt subsidij, vt &
lotiones pedum ex decocto herbarum capitalium. Frictiones
verò non tantum totius, sed potissimum capitis, post Cly-
sterum vsum, aut postquam pituitæ affluxum constitisse,
nec cerebrum excrementis abundare, verisimili coniectu-
rà deprehendimus, multum conferunt, tam pituitam ra-
refaciendo, quam foras euocando, caloremque partis re-
fufcitando.

45. A frictione non incommodè insperguntur capiti,
Pulueres ex ijs, quæ capiti appropriata supra diximus, aut
ex *Lixiuio Iuniper. & Guaiac.* cum prædictis fiunt *Forus*, aut
vt efficacius penètrant, ex *ol. Rutac. Lauri. de piperibus, ex
sem. sinap. & aquâ vitæ* fiunt decoctiones, ad huius consum-
tionem, quibus adduntur *ole. destilla. Rut. Rorism. Salvia,
Serpyll. spica, succini, Guaiac. cran. aut oss. human.* nec non *Am-
moni. Bdell. Opopana. Castor.* dissoluta in aquâ vitæ, ijsq; inun-
gitur locus futurarum, vel additis pulueribus *capill. human.
hyrund. succi. castor. &c.* cum cera q. s. parantur cucuphæ
perpetim derafo capite gestandæ. Quod si spes sit, solutum
iri morbum, transferuntur eadem ad principium nuchæ,

quò vi calefactiuâ humor ad eum locum trahatur, quò eum facultas detrusura est.

46. Ab his si nihil profecerint, licet progredi ad *sartaginem ignitam* quæ est inuentum Arabum, ad *Synapismos*, ad *Dropaces*, seu *Picationes* & deniq; ad *cauteria* ipsa *actuala*, quò promptius operentur, & violentius ad circumferentiam à centro euocent. Vulgari *Dropacum* & *Synapismo* r̄m materiae adduntur, quæ hunc affectum respiciunt, *ca- flor. sem. sinap. & eruc. sterc. hyrund. cum oleis sæpius enarratis.*

47. Promptior autem & expeditior via est, per loca consueta, *Nares, palatum, Oculos & Aures*. Et *Aures* quidem, quia non patent, & biliosa potius, quam pituitosa excrementa expurgant, nec sine incommodo acribus medicamentis tangi possunt, prouocantibus non irritamus: qua de causa, & *Oculis* parcimus, nisi quod hi in consensum narium trahantur. *Naribus* verò omnium commodissimè applicantur, quæ ad cerebrum deducta cupimus, siue ad euocandam pituitam, siue ad excitandam facultatem expultricem, siue ad attenuandum: & quidem in formâ liquidâ potius, quam solida, tum quia hæc non attrahuntur, tum quia vias aëri expirato obturant. *Oleum vitriol. & aquam nucis muscata, ex aquâ vitæ destillatam* probat Holler. Profunt olea quæcumq; chymica ex supra enarratis, elicita, vel separatim, vel si exulceratio nimia metuatur, corpore aliquo crasso subacta, Item succ. cepar. Rapha. flammul. Irid. quibus tinguntur fibræ *Rad. Helleb.* vel pilus aliquis crassior, ijsq; titillatur interna narium tunica.

Apophlegmatismi.

48. *Palatum* irritari posset *illitionibus, masticatorijs, & Apophlegmatismis*, sed posterioribus medijs non licet vel, donec expergiscantur, imò ne tum quidem tutò adhibentur, priusquam respiratio facta fuerit liberior, quia detracta ad fauces copiosa materia, non potest non in asperam

ram arteriam illabi, & cum maximum periculum instet Apoplecticis ex suffocatione, facere, vt multi, quantumuis superueniente febre, ad se rediisse visi, catharro veluti moriantur suffocatiuo. Illiniri quidem potest palatum adhuc stupentibus, tum ijs quæ ad nares præscripta sunt, tum *castor. & Euphorb.* in aquâ vitæ dissolutis, nec non *Confect. Anacard. Theriac. veter. Mihridar.* aut composito vnguento, ex *Sinap. Piper. Staphysag. Pyreth. Castor. Euphorb.* excepto succo *Cepar. Rapha. Ruta, Irid. Cyclam.* sed cum periculum suffocationis eò magis immineat, quo magis oppressa est respiratio, satius probamus, tam ab his abstinere, quàm à suffumigijs, ex *capill. human. pennis perdicum & pauon.* cum *sulphure crudo, Gagate, opopan. tabac.* & similibus, quia præter periculum suffocationis, tetra odore reliquias spiritus in cerebro, extinguunt. *Extractum* verò *Nicotiana* in aquâ *Maioran.* aut *Nigell.* dissolutum, naribusq; cum spiritu vini insufflatum, non parum proderit.

49. Denique potest vsus esse etiam *cucurbitularum*, tam *Cucurbitularum* quàm cum *scarificatione*, quia ad ambitum ex imo *tulæ.* euocant, & vt locus, cui imponuntur, magis doleat: si modò dolere possit, vulnuscule exacerbantur succis *Aristol. rot. Gentian. Cycl. Rut. Acet.* sed vt conuenienti regioni applicentur, cautio est. Nam in *abdomine* propter huius musculorum ex thorace explantationem, impedirent respirationem: In *natibus* copiosè quidem traherent, sed tardè: In *scapulis & humeris* sat citò quidem traherent, sed respirationem perinde inhiherent, atq; in *abdomine*, cum indifficili respiratione musculos omnes cooperari sit necessum. Reliquum igitur est vt affigantur *occipitio & cervici*, quo eò trahatur humor, quò natura missura est.

50. Postquam reuiuiscere cepit Apoplecticus, & Para-*Præseruatio.* lyseos principium apparet, non quidem abstinendum est, *tio.*

ab

ab euocantibus pituitam, adijciendaq; sunt purgantia, ex
cochijs, fetid. aur. sine quibus harumue extractis. Item *Troch.*
alband. hier. diacol. in aquis appropriatis, si deglutire pilulas
nequeant, dissoluta, ne vel *uniuersalem Paralyfin*, æque pro-
pter abolitionem respirationis periculosam, vel *convulsio-*
nem lethalem inferat, ei in principium neruorum nimis con-
fertim incubuerit: sed ex cæteris remedijs mitiora feligen-
da sunt, tum ne febrem nimis incendamus, tum quia facul-
tas resuscitata minus acerbis indiget. Eadem enim quæ
morbum dispulerant, vim habent confortandi cerebrum,
pituitoso mucro madefactum, dum *siccant, calefaciunt & oc-*
cultâ proprietate roborant, quibus extrinsecus addi possunt,
quæ leui & amicâ astrictione, tonum visceri reddunt, re-
cursumq; turgentis materiæ ad cerebrum, adeoq; recidi-
uam prohibent. Tum quoq; tempestiuum foret *cauterium*
brachijs imprimere, vt materia à cerebro quam longissimè
abduceretur. *Spiritu vini* abstinendum, non tantum pro-
pter vim Narcoticam, sed & quia temperiei neruorum &
cerebri inimicus est. De cætero curantur vt Paralytici.

Regimen
sex rerum
non natu-
ralium.

51. Discusâ quodammodo obstructione, *victus* quoq;
ratio haberi potest, quam silentio hucusq; transmisimus,
quod in homine quasi mortuo institui nec potuit, nec in ex-
tremo festinoq; morbo debuit, nisi tenuissima, *lib. 1. Aph. 6.*
Aër toto decubitus tempore lucidus esse debet & calidus,
quia frigus neruis inimicum, & pituitam intus cohibet.
Suffitu succini, Mastichis, Myrrha & herbarum capital. magis red-
ditur appropriatus, quò putant etiam facere *columbarum ni-*
dos & volatum. Nam & in cibo laudantur *columba syluestres,*
Turtures, Hirundines, Leporis cerebellum. Reliquis cibis re-
quiritur facilis concoctu, & qui paruâ quantitate multum
nutriat. Medicamentosus efficitur mixtione eorum, quæ
facultate discutiendi & abstergendi pollent, & ad cere-
brum

brum directa sunt. Claudatur ventriculus puluere pepirico ad
reprimendos vapores. Vitetur copia aromatum, allium, cepe,
Nuces, Vinum & potus fumosa cereuisia ob copiam lupuli. Panis
condiatur seminibus quæ crassitiem illi demant. Loco falis
exhibeatur Theriacale aut arte elicitum ex herbis supra enar-
ratis, vel mixtura, macis, muscat. pulu. salui. Maioran. cum
sale comm. Bellaria ex sinapi & acetaria, ex Nasturt. Eruc. Salu.
Maiores. Dracuncul. Rorem. profunt. Pro vino apponatur mul-
sa aut hydromel, nisi cerebro probè defecato: Tum enim
vinum dilutum senili corpori indulgendum.

52. Tristitia quia exiccat spiritus & corpus torpidum red-
dit, summoperè fugienda: Ira etiam si calore dissipet, com-
mouendo tamen humores recidiuam minatur. Somno nõ est
replendum caput, nec calor à capite & extremis ad cor re-
digendus: adeoq; diurnus prorsus fugiendus: nocturnus
moderandus, & si respirationem impediat, etiam interrup-
endus. Aluus si pigrius officium faciat, glandibus & clyste-
ribus prouocanda, omniq; modo prohibendum, ne qua no-
uæ ad caput vaporum exhalationi occasio præbeatur. Motus
qui calorem exuscitat, pituitamq; liquefactam per sudores
eiciat, non potest non summoperè probari, siue suis viri-
bus inambulare, & quiete torpentia membra refocillare ve-
lint, siue vehantur & leni passu gestentur.

53. Si verò Apoplexiam induxerit Melancholia, eidem fe-
rè Methodo insistendum est, nec ab similibus vtendum me-
dicamentis, sc. quæ attenuent, detergeant, & caput respiciant,
nisi quod clysteribus & præparantibus admiscenda veni-
ant, quæ terrestrem siccitatem diluendo, Melancholiam flu-
xilem reddant, vt sunt Capill. Ven. Adiant. Rus. mur. Buglos.
Borrag. Scabios. Cichor. Passula. Item Thym. Epithym Cuscus.
Fumar. Scolopendr. Milzatell. Trifol. aur. Meliss. Tamarisc.
Genist. &c.

Curatio A-
poplexiæ
ex Melan-
choliâ.

Vomitus licet potenter tam Pituitam, quam Melancholiam ad principium reuelleret, simulq; vtrumq; humorem validâ commotione excuteret, neutra tamen in Apoplexiâ probari potest, non tantum, quod accessionem Paroxyfmo faciat, caput replendo, sed potissimum, quia provocari sine periculo suffocationis non potest. Nam dum facultas expultrix iacet, vomitorio subuertitur ventriculus, conatusq; in vanum impellitur, quid superest, nisi vt subuersus ventriculus, & tam medicamento irritante, quam attracto humore distentus, deuoluatur in Diaphragma, obscurumq;, qui dilatationi ægrè sufficit, motum pondere suo prorsus extinguat.

55. In Apoplexiâ à sanguine quacunq; ratione inducta, spes omnis sita est in sanguinis missione, adeò vt licet clysteribus hîc quoq;, minus calidis minusq; acerbis instandum sit, à venæ tamen sectione auspicari cogat necessitas, cum generaliter, vbi necessitas æquè vtrumq; efflagitat, venæ sectio purgationi præmittatur, propter periculi magnitudinem. Sunt enim & aliæ viæ sanguinem vel exhauriendi, vel auertendi, vtpote frictions, cucurbitulæ, ligaturæ, alui irritatio, sed magnus & acutus morbus indicat generosum & citum remedium.

56. Qua de causâ etiam, quia citò prodesse volumus, non aperimus nisi venam conspicuam, quæ & citò reuellat à capite, & magna parte sanguinis euacuatâ ex cerebro faciat, qui illic morbum facit, in venas metu vacui refluere. Iugularibus tamen abstinemus, tum quia obligari sine respirationis impedimento non possunt, tum quia non plus emolumenti præstant, quam Cephalica, præcipuè quando sanguis non transijt ad caput per externas, sed internas iugulares, quibus directò subijcitur cephalica, & non tantum sine periculo euacuat, sed & longius à cerebro abducit: vena popli-

poplitis accuratius quidem reuellit, sed tardius præstat auxilium. Nec refert in vtro latere vena aperiatur, nisi quod ad dextrum potius spectandum sit, propter officinam sanguinis, nisi plethoræ magnitudo exigat sectionem reiteratam in vtroq; latere.

57. Quantitatem mittendi sanguinis determinabit plenitudo. Vires enim quia ab initio solâ oppressione deijciuntur, per euacuationem statim liberandæ, non impediunt, quò minus eò vsq; detrahas, donec vestigia reuiuiscantis facultatis in ægro deprehendas. Satius tamen est, reiteratò quam vnâ vice detrahi, cum effectus partitis vicibus certius exploretur, & ratio sit habenda virium, non tantum præsentium, sed & earum, quæ ad tantum morbum superandum validæ requiruntur. Post vniuersalem sanguinis missionem, quæ cerebrum proximè circumstant, venæ tunduntur, præcipuè frontis & nasi. Per nasum enim euacuatur & ille sanguis, quia iam extra vasa effluxit. Rondoletius aperit venam sub linguâ, cuius autoritatem non sequimur, tum quia difficile est eam, per vim diductis faucibus inuestigare, tum quia sanguis inde effluens relaberetur ad pulmones, quando ab Apoplectico expui nequit, & induceret periculû suffocationis. Cetera auxilia chirurgica adhibetur, vt prius.

58. Interim, siue in ventriculos effusus, siue in venis turgens, inflammationiq; similem affectionem pariens, siue carotides opplens sanguis, Apoplexiam faciat, præter sanguinis missionem, eidem Methodo insistimus, quam supra instar regulæ proposuimus, nisi quod calorem medicamento- rum mitigemus, & interdum extrinsecus repellentia ab initio affundamus, in quorum tamen administratione cautè versari oportet, ne, dum repellentia viam sibi ipsis impediunt, ab externis sanguinem ad interna compellant, & astrictione suâ illic impingant. In obstructione carotidum medi-
camen-

eamenta Apoplectica nihil proficiunt, cum cerebrum non laboret, ideoq; eorum loco substituenda, quæ spiritus reficiant: nec somnus impediendus, cum eius beneficio dissipati spiritus recolligantur.

59. Disiecto Paroxyfmo applicantur, quæ reliquias discutiant, & intemperiem à sanguine inductam ad nativam cerebri frigiditatē reducant, vt sunt Pulveres & Cucuphæ ex florib. Rosar. Violar. Nenuphar. Pœon. Tili. Sem. Coriand. Pœoni. & cæteris capitalibus sæpius enarratis, quæ exiccandi vi pollent; Item pullus Columb. & Gallinac. Catellusue dissectus, pulmones arietis, agniue, Epata eorundem, nec non carnes, sanguisq; animalium adhuc feruidus, aliaq; id genus futuris forinsecus applicata. Nec quicquam obstat, quò minus caput lixiuio siccante, in quo bullerint herbe & radices appropriatæ, lauetur, & statim probè siccetur leni frictione. Grumi sanguinis si qui concreuerint extra vasa, suis remedijs dissoluuntur & expurgantur.

Ab ictu & venenatâ qualitate.

60. Quæ ab ictu casuue originem trahit Apoplexia, Chirurgicis operationibus curatur. Venenatam qualitatem corrigunt specifica antidota, singulis venenis opposita, si causa procatarctica fuerit cognita: aut si certò cognosci nequit, generalibus acquiescendum est, Theriac. Mithridat. & potissimum, quod ex Crystall. & argent. ad cerebrum conficitur. Postea spiritus limpidi reficiendi, & cerebrum ex ijs præcipuè confortandum, quæ diximus totâ substantiâ illi amica esse, & eius contrarijs aduersari.

*Ad præstantiss. & amiciss. Dn. SIMONEM HASE
Reg. Borussum.*

*Q*uæ super ætonito morbo, morbi què medela
Publicus hic autor differuisse paras,
Vidit Hygæa SIMON, genioq; afflauit amico;
Parca autem simul vt vidit, vt indoluit!
Æternum ô ploret genus illacrumabile Parca:
Rideat æternum sospita Hygæa tibi.

Georgius Nößlerus Berol. March.

F I N I S.